Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift

debet aut reconciliari uiro suo. ita et uir qui uxorem dimiserit ei non conceditur aliam ducere. Sed aut absque uxore esse debet. aut uxori sue reconciliari. Scilicet quibus non licet se aliis nomine coniugii sociare. multo minus licet stuprum committere. Ceterum tamen sciendum dicendum est coniugium cum coniuges solo conueniunt amore filiorum. et patratis filiis seu suscepta prole pari consensu castitatem seruant. Isti non agunt contra domini preceptum. quia non dimittunt uxorem quam non carnaliter sed spiritaliter cum ea uiuunt. sed potius sunt laudandi. quia implent illud apostolicum. qui habent uxores tamquam non habentes sint. Illi uxores seruant. tamquam non habentes habent qui sub nomine coniugii castitatem seruant. Querendum quare hic ammonet dominus uxorem non esse dimittendam cum alibi odiendam precipiat dicens. si quis uenit ad me. et non odit patrem et matrem. uxorem et filios. adhuc autem et animam suam. non potest esse meus discipulus. Item. cur precepit odiendos propinquos. qui etiam inimicos iubet diligere. diligite inimicos uestros. benefacite his qui uos oderunt. Item cur uxorem dicit odiendam cum apostolus ammoneat diligendam. uiri diligite uxores uestras et nolite amari esse ad illas. Quis enim potest odisse propinquos. et diligere inimicos. et odire simul et diligere uxorem. Secundum tamen utrumque per discretionem facere possumus. id est ut qui nobis aliqua societate et affinitate iuncti sunt

diligamus. eos etiam si in uia dei nobis contrarii sunt odiendo fugiamus. Amet ergo quicumque inimicus in hoc mundo. et odio habeat in uia dei contrarios etiam propinquos. Et ut ostenderet dominus hoc odium non de inaffectione sed ex caritate nasci. addidit adhuc autem et animam suam. Tunc enim animam suam nostram odimus. cum eius carnalibus desideriis reluctamur. et sic odiendo bene quidem amatur. Aliter. vb v dic. Diligendus est inimicus. non inquantum inimicus sed in quantum homo. ut correctus ueniat ad regnum beatum. Similiter et propter regnum celorum odiendus est in uxore concubitus. et in propinquis temporales necessitudines id est nomen patris et matris et ceterorum. id est odisse debemus hanc presentem uitam que habet has necessitudines que nascendo et moriendo peragitur. Et diligere debemus in eas creaturam dei quam nobis cupimus innouari in uita beata. ubi nemo nascitur nemo moritur ubi mortale hoc induet immortalitatem. ubi non est masculus neque femina. seruus neque liber. sed omnia et in omnibus est christus. Odienda ergo est hec uita presens. quia nisi hec odio habeatur ad illam que eterna est diligendo peruenire non possumus. Nam et pro presenti uita posita est anima in eo loco ubi dominus ait. adhuc et animam suam. Ergo christi discipulus esse non potest qui non odit animam suam. id est hanc presentem uitam. Huic anime necessarius est cibus corporeus. unde dominus. Nolite solliciti esse anime uestre id est huic presenti uite quid manducetis aut quid bibatis. Item.